

/ Ill^{me} ac R^{me} D^{ne}, D^{ne} Prone Observant^{me}

Afflicta ac tot tam diuturnis temporis incommodis pene ever-
sa Ungaricae ecclesiae conditio, ad cuius clavum me, licet immeren-
tem, divina miseratio propensaque in me Sanctitatis Suae benigni-
5 tas collocavit, quotidianis iisque gravissimis difficultatibus tan-
tam mihi sollicitudinis molem ingerit, ut nisi recursus ad sacram
illam anchoram Sedis Apostolicae reliquus esset, vix equidem viam
rationemque superesse arbitrarer, quam his turbulentissimis patri-
ae motibus ac ruinis consisterem. Hic enim quocunque cogitationem
10 flecto, nihil fere nisi moeroris uberem segetem, et pene conclama-
tam perniciem video. Verum ubi ad illam sedem cuius moderator est
Spiritus sapientiae et intellectus, ubi ad sacrum purpuratorum se-
natum, et ante alios ad tuam Ill^{mam} Dominationem animum reflecto,
respirare et in spe protectionis v^{rae} Ill^{mae} Dominationis conquies-
15 cere videor. Siquidem e publico illo, totaque christianitate vulga-
to Ill^{mae} Dom. v^{rae} zelo, quo iam pridem ecclesiam adiutum is, faci-
le adducor ut credam me quoque meam ecclesiam, denique negotia pro-
movendae in Hungariam religionis in tutelam et patrociniū Ill^{mae}
Dom. v^{rae} suscepta iri. Id ut fiat, quam possum demisse à v^{ra} Ill^{ma}
20 Dom. peto, quod si ab eadem consecutus fuero, Ill^{mam} Dom. v^{ram} mais
in causis (quas ab eo, qui mea in Urbe negotia agit, intelliget)
apud Sanctissimum Dominum nostrum fautorem habuero, dabo operam ne
ulla unquam oblivio Ill^{mae} Dom. v^{rae} in me benevolentiam oblitteret,
Deumque precabor ut Ill^{mam} Dom. v^{ram} ecclesiae suae quamdiutissime
25 salvam velit. Quod reliquum est, post humillima manus v^{rae} Ill^{mae}
Dom. oscula, me meaque omnia obsequia defero eidem. Datum Romae
die ultima mensis octobris, anno Domini 1607.

Eiusdem Ill^{mae} ac Rev^{mae} Dom. v^{rae}

Humillimus servus

Franciscus Forgatz Archiep^{us} Strigoniae.

30 -----
Ill^{mo} ac R^{mo} D^{no} D^{no} Roberto Cardinali Belarminio D^{no} ac Pa-
trono meo observ^{mo} = Romam =
Archiv. PostulBell. 4^o copie.